



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Praemittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

P O S T U L A T A.  
P O S T U L A T U M I.

Postuletur adhiberi hic animum docilem, & veritatis studiosum; non refractarium, & pertinacem.

*Postulati primi equitas ostenditur.*

I. **N**ec enim hic animum tam convinci, quam persuaderi velim. Illud rationes fortasse nostræ efficere poterunt; ea est Christianæ causæ veritas: hoc de sola animi æquitate & candore sperare licet. Quod si ab æquo Lectore impetro, uti me impetraturum confido, alterum hoc facile mihi concedet:

P O S T U L A T U M II.

Tam certo ea credi quæ hic probabuntur, quam creduntur reliqua, quæ paris roboris rationibus nituntur.

I. *Postulati secundi equitas ostenditur.* II. *Premittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.*

*Postulati secundi equitas ostenditur.*

I. **Q**uidni hoc impetrem quod postulo, cum non hic de lana caprina, non de vanis iis Philosophorum quæstionibus, non de temporariis rebus controversemur; sed de re omnium maxima, unde salus æterna pendet, vel numquam desitura calamitas. Quod si ex iis quæ vel experientia teste, vel lumine naturali duce, vel ratione, vel morali fide habemus perspecta aut persuasa, vitæ hujus normam absque dubitatione ulla aut tergiversatione sumimus, cur non paris auctoritatis rationibus ad idem in re longe gravissima faciendum impellimur, æterna nimirum beatitate consequenda? Ad iter accingeris in crastinum: æstate ligna reponis in hyemem, hyeme glaciæ in æstatem: feris arbores quæ alteri sæculo profint; nec certi tamen habes quicquam, vel de sæculo futuro, vel de futura æstate & hyeme, vel de die crastino, præter conjecturam, quam de præteritis fecisti. Spe lucelli fortunas omnes suas mari committit mercator, & ad Indos mittit, quos numquam adiit, & quos esse fando tantum accepit. Quod si res proposuero, similibus argumentis, moralibus nempe comprobatis & compertas, cur non parem adjunges fidem? cur in fluxis rebus & vanis tantum hujusmodi rationibus tribues; in gravissimis & æternis tantum iisdem detrahes? cumque Geometrarum imperia patienter feras, nec eorum Postulatis quantumlibet iniquis parere detredes; æquissimo huic Postulato non annues?

*Premittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.*  
Procl. libr. 3. in Euclid.

II. Iniqua dixi Postulata Geometrarum, qui ea concedi sibi volunt, quæ nec facta sunt unquam, nec futura, nec ulla arte humana fieri possunt. A puncto ad punctum lineam duci, quovis centro & intervallo circulum describi jubent, ut facile factu, *ὡς ἀσβήτως ἢ ἰσότητος*, ( sic enim loquitur Proclus. ) cum nec punctum esse possit, nec linea. Cæterum dubitabat Timon in libris contra Physicos, an aliquid sumendum esset ex Hypothesi; atque hanc Hypotheseon licentiam Sextus Empiricus solerter coercuit. Plurima præterea Euclidis Postulatis inesse vitia mox probabimus, postquam Communes notiones aliquas præmiserimus, quarum prima hæc est:

